



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtru[m] occidere peccatorem sit licitum? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

licitum est & plantas mortificare in vsum animalium, & animalia in vsum hominum ex ipsa ordinatione diuina. Dicitur enim Genes. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ. Et Genes. 9 dicitur, Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex ordinatione diuina conseruatur vita animalium & plantarum, non propter seipsa, sed propter hominem. Vnde, vt *
l. 1. c. 20.
in s. 2. 5. August. dicit in primo de ciuit. Dei, iustissima ordinatione creatoris & vita & mors eorum, nostris vsibus subditur.

Ad secundum dicendum, quòd animalia bruta & plantæ non habent vitã rationalem, per quam à seipsis agantur, sed semper aguntur quasi ab alio, naturali quodam impulsu. Et hoc est signum, quòd sunt naturaliter serua, & aliorum vsibus accommodata.

Ad tertium dicendum, quòd ille qui occidit bouẽ alterius, peccat quidẽ: nõ quia occidit bouẽ, sed quia damnificat hominẽ in re sua. Vnde nõ cõtinetur sub peccato homicidij, sed sub peccato furti vel rapinæ.

ARTIC. II.

Verum sit licitum occidere peccatores?

357
in s. 9. 108
a. 1. c. 3
Et 1. 2. 9.
100 a. 9.
ad 3. Et 3
ad. c. 140
Et Ro. 12
le. 3. co. 4
fin.
** c. 7 pa-*
rum ante
me. 10 4.
c. 6. parã
ante fin.
10. 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non sit licitum occidere homines peccatores. Dominus enim Matth. 13. in parabola prohibuit extirpare zizaniã, qui sunt filij nequam, vt ibidem dicitur. Sed omne quod est prohibitum à Deo, est peccatum. Ergo occidere peccatorem, est peccatum.

¶ 2 Præterea, iustitia humana conformatur iustitiæ diuinæ. Sed secundum diuinam iustitiã peccatores ad penitentiam reseruantur: secundum illud Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Ergo videtur omnino esse iniustum, quòd peccatores occidantur.

¶ 3 Præterea, illud quod est secundum se malum, nullo bono sine fieri licet: vt patet per *Aug in lib. contra mendacium, & per † Philosophum in 2. Ethic.

Sed

Sed occidere hominem, secundum se malum est: quia ad omnes homines tenemur charitatem habere; amicos autem volumus vivere & esse, ut dicitur in 9. Ethic. Ergo nullo modo licet hominem peccatorem occidere.

*l. 9. c. 4.
10. 5.*

SED contra est, quod dicitur Exod. 22. Maleficos non patieris vivere. Et in Psal. 100. In matorino interficiebam omnes peccatores terræ.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dicitur, licitum est occidere animalia bruta, in quantum ordinantur naturaliter ad hominum usum, sicut imperfectum ordinatur ad perfectum. Omnis autem pars ordinatur ad totum, ut imperfectum ad perfectum. Et ideo omnis pars naturaliter est propter totum. Et propter hoc videmus, quod si saluti totius corporis humani expediat præcisio alicuius membri, puta cum est putridum vel corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter & salubriter abscinditur. Quælibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem sicut pars ad totum: & ideo si aliquis homo sit periculosus communitati & corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter & salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur. Modicum enim fermentum totam massam corrumpit, ut dicitur 1. ad Cor. 5.

art. 216c.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus abstinendum mandavit ab eradicatione zizaniorum, ut tritico parceretur, id est, bonis. Quod quidem fit, quando non possunt occidi mali, quin simul occidantur & boni, vel quia latent inter bonos, vel quia habent multos sequaces, ita quod sine bonorum periculo interfici non possunt, ut August. * dicit contra Parmenianum. Unde Dominus docet magis esse finendum malos vivere, & ultionem reservandam usque ad extremum iudicium, quam quod boni simul occidantur. Quando verò ex occisione malorum non imminet periculum bonis, sed magis tutela & salus, tunc licet possunt mali occidi.

*l. 3. c. 2. 2
m. 1. 7.*

Ad

Ad secundum dicendum, quod Deus secundum ordinem suæ sapientiæ quandoque statim peccatores occidit ad liberationem bonorum, quandoque autem eis penitendi tempus concedit, secundum quod ipse nouit suis electis expedire. Et hoc etiam humana iustitia imitatur pro posse. Illos enim qui sunt perniciosi in alios, occidit: eos uero, qui peccat, alijs grauius non nocentes, ad penitentiam reseruat.

Ad tertium dicendum, quod homo peccando, ab ordine rationis recedit: & ideo decedit à dignitate humana, prout scilicet homo est naturaliter liber & propter seipsum existens: & incidit quodammodo in seruitutem bestiarum, ut scilicet de ipso ordinetur secundum quod est uile alijs, secundum illud Psal. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et Prouerb. 11. dicitur, Qui stultus est, seruiet sapienti. Et ideo quamuis hominem in sua dignitate manentem occidere, sit secundum se malum: tamen hominem peccatorem occidere, potest esse bonum, sicut occidere bestiam. Peior enim est malus homo quam bestia, & plus nocet, ut Philosophus dicit in primo * Politicorum, & in 7. Ethicorum.

ARTIC. III.

17. Ethicorum
36. in fine
20. 9.

Utrum occidere hominem peccatorem liceat priuata persona?

358
inf. q. 65.
a. 1. co. et
ad 2. Et
q. d. 37. q.
2. m. 1.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod occidere hominem peccatorem liceat priuata personæ. In lege enim diuina nihil illicitum mandatur. Sed Exodi 32. præcepit Moyses, Occidat unusquisque fratrem suum & amicum, & proximum suum, pro peccato vituli conflatilis. Ergo etiam priuatis personis licet peccatorem occidere.

art. præc.
ad 3.

¶ 2 Præterea, Homo propter peccatum comparatur bestijs, ut dictum * est. Sed occidere bestiam syluestrem maximè nocentem, cui libet priuata personæ licet. Ergo & pari ratione occidere hominem peccatorem.

¶ 3 Præ-